

Bibliothèque numérique

medic@

**Couillerot des Charieles, Claude -
candidat / Fumée, Guillaume -
président. - An vigor animi
corporisque intùs mulso, foris oleo
servetur ?**

1789.

**Paris : Tipis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Typographi. viâ du Fouare
Cote : ms 2337a n°173**



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0173](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0173)



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS

manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis decimâ mensis

Martii, anno Domini M. DCC. LXXXIX.

M. GUILLELMO FUMÉE, Doctore Medico, Præside.

An vigor animi corporisque intùs mulso, foris oleo servetur?

I.

OMNIA quibus vescuntur homines, non in succos nutritios & sanguinem cedunt; ideò ad supervacanea & purgamenta amandanda certos exitus provida paravit Natura.

Insigniores corporis exitus sunt: *alvus, renes, cutisque pori*; per quos quanta sunt quæ quotidie egeruntur, *staticis experimentis cognoscere studuerunt Sane*

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

2

torius in Italiâ , Gorter apud Batavos , Keill in Angliâ , Dodard lutetiæ Parisiorum. Eorum Opera celeberrimi Medici diurnâ manu versare fatagunt , cum illis ruficantur & pernoctant.

Perspiratio insensibilis quam *diapnoam* vocat Helmont (1) , de quâ hic dicere incumbit , est effluvium illud quod vaporem æmulans fit per corporis habitum cutaneosque poros. Perspirabilis igitur materia elevatur ex humoribus , omnibus functionibus absolutis , solidisque detritis (2). Partes ultrâ modum animalisatæ , ad nutritionem non amplius aptæ , magis ac magis ad putredinem vergentes salubri nisu è corpore rejiciuntur.

Non in omnibus vitæ periodis eadem est hujusce materiæ quantitas , æstiva enim perspiratio maxima longè superat hyemalem. Diurna est nocturnæ selsqui altera. Ultrâ citràque latitudinem suam naturalem perspiratio fertur , vel calore & exercitio , vel frigore & quiete. Ab equitatione perspiratio promovetur. Minus attamen perspirat nimio exercitio sole fervente defatigatus (3). Perspirationis immensa à corporis humani exercitatione copia (4).

Valdè differt perspiratio à sudore qui per cutis poros sub aquæ specie erumpit. Ejus materia est humor tenuis de fero & lymphâ participans. In genere sufficiat sudorem alium esse bonum & salutarem , alium noxium & ~~maalum~~ *malum*. Ad bonum pertinet spontaneus criticus , ut in morbis acutis ; ad malum verò spectat sudor nimius , depravatus (5). In sano homine , sudor est excretio præternaturalis , debilitans , de succorum nutritiorum parte defraudans , indè ultrâmodum auctus inspissationem lymphæ , obstructions , hydropem , &c. accersit.

I I.

PERSPIRATIO hæc quantumvis necessaria , imminui , quin imò penitus supprimi potest & quidem absque noxâ : dicti veritatem abundè comprobant Veterum & quorundam Neotericorum scripta & observationes , cuique eorum

(1) Tr. Tumul. Pestis , § *preparata sedes*.

(2) Gorter de perspirat. insensib. p. 4.

(3) Ità expertus est & probavit Alexander.

(4) Haller , Elem. Physiol. , tom. 2 , pag. 419.

(5) De sudore prorsus nigro instar atramenti salutari & excreto legatur sing. Observ. D. Olai Boorrichii in Act. Havn. , tom. 1 , Obs. 70.

Opera legenti nullum remanebit dubium. Ut magis ac magis elucescat veritas, necesse non est descendere in regnum hypothesium & conjecturarum, sufficit omnis ævi Medicorum celeberrimorum libros pervolvere.

Ex his constat unctiones oleosas antiquitus tantoperè decantatas, hodiè obsoletas, vel rarò admodum in usum adhibitæ effectum hunc producere.

Non ignorabant antiqui Medici iis occludi poros cutis, sed perspirationem insensibilem imminuere, sudorem verò tanquam excretionem præternaturalem suppressere, in animo habebant. Nihil apud illos magis in usu fuit, quam corporis unctio; hâc, post balneum & exercitationem, nimium sudorem cohibebant; hâc à labore aut itinere defatigatos reficiebant. Hanc viris (1) tam sanis, quam ægrotis, ætate vigentibus, aut confectis convenire existimabant; hanc hyeme & æstate, mane & vespere adhibebant.

Post iter, inquit Celsus, (2) primùm sedile, deindè unctio tum calida aqua in balneo magis superiores partes, quam inferiores fovent. Si quis verò exustus in sole est, huic in balneum protinùs eundum est, perfundendumque oleo corpus & caput. At si qui perfrigit, opus est balneo primùm involuto sedere donec insudet, tum ungi, deindè lavari.

Et in alio loco (3) ubi de sudore. Ubi in balneum venit, paulisper residere, experiri que tempora astringantur, & an sudor aliquis oriatur, illud si incidit, inutile eo die balneum est: perungendus est leniter, & referendus est, vitandumque omninò frigus, & abstinentiâ utendum est.

Frictiones quas appellat præparatorias ante exercitium suadet Paulus Aegineta (4). Antè exercitia corpus moderatè calefacere oportet frictione per lintea factâ; deindè per oleum fricandum est nudis manibus, donec probè caluerit & mollium fuerit corpus, & florido rubore rubuerit, & ad tumorem productum fuerit; qui mos adhuc viget apud Islandiæ incolas, ad arcendum frigus.

(1) Legè sancitâ an. ab urbe conditâ 730, Romani militiæ nomen dare cogeantur anno ætatis decimo septimo; Balnea verò adibant & oleo ungebantur circà annum decimum quartum.

(2) Lib. 1, cap. 3.

(3) Lib. 2, cap. 16.

(4) De Re Medicâ, lib. 1, cap. 15.

Idem præceptum dat *Galenus* (1), & sic habet : *Porro in sanis, si quidem ex longo itinere, aut exercitatione, aliove quovis pacto, corpus ipsis exhaustum est, eis inungi, & antè sudorem permittunt.*

Secundum quasdam regulas peragebantur unctiones (2), antequam ungerentur corpora, *fricatores* cutem radebant instrumento strigilis nomine cognito, cochlearis formam imitante cujus figuram videre est apud *Mercurialem* (3) quandòque addebatur oleo pulvis, ut major evaderet affricus.

Contrà quosdam morbos, v. g., convulsiones, dolores vividos, urinarum suppressiones &c., oleorum balnea in usum advocare non dubitabant Antiqui (4). Aliquandò aquæ addebant oleum quod agitatione repetitâ miscere studebant (5).

Dicendi non foret finis, si omnia quæcumque scripta sunt à variis Auctoribus colligere tentaremus, in iis longiùs immorari vetant *Dissertationis angustia*; itaque sit.

I I I.

EX hâc tènùs dictis patet absque periculo imminui posse insensibile effluvium erumpens per poros cutis, dummodò alvus & renes munus obeant. Sic apud Romanos alimentorum natura laxam alvum servabat. Neminem fugit eos oleribus præcipuè pastos; mulso, aquâ calidâ, necnon & hydromele refectos fuisse, sed diæta hæc ad intestina appellat perspirationis insensibilis materiam; altera causa, consuetudo scilicet, omne periculum amovebat, hoc vivendi modo, vitâ longâ & sanâ fruebantur. Hinc *Democritus* interrogatus circâ media quæ homines adhibere debeant, ut diutiùs vivant, respondit : *Si corpora exteriora oleo, interiora autem melle inungerent. Multi senectam longam mulsi* (6) *tantum nutriu tolerare, neque alio ullo cibo, celebri Pollionis Romilii exemplo. Centesimum annum excedentem, eum divus Augustus hospes interrogavit, quânam maximè ratione vigorem illum animi corporisque custodisset. At ille respondit : intùs mulso, foris oleo* (7).

(1) De Simpl. Medic. Facult., lib. 2, cap. 24.

(2) Galen. ibid. & cap. 22.

(3) De Arte Gymnastic.

(4) *Oribas.*, lib. 10, Collect. cap. 37, ex *Herodoto*, lib. de remediis intrinsecus occurrentibus.

(5) Idem Synops, lib. 1, cap. 37.

(6) Mulsum à mulseo dicitur, quasi melle delinitum. Est potio ex vino melleque confecta. *Plin.*, lib. 22, cap. 24. *Defrutum* dicebatur olim specialiter mustum ad dimidias decoctum. *Castel. elxic. Medic.*

(7) *Plin. Hist. Nat.*, lib. 22, cap. 24.

8

Habebant veteres Romani mulsum in deliciis, & in triumpho milites ab Imperatore eo donabantur.

Sed spectatores vos nunc ne miremini
Quod non triumpho. Pervolgatum est,
Nihil moror,
Veruntamen accipientur mulso milites (1).

Mulsum tanti facit Martialis, ut ambrosias ornare dapes id posse censeat : quippè quod dignum sit, ut à Ganymede Jovis pocillatore in cœlo propinetur.

Attica nectareum turbatis mella Falernum
Misceri decet hoc à Ganymede merum.

Præstantissimum verò è veteri vino austero & bono melle confectum putat Dioscorides (2).

Apud Hebræos invaluit etiam usus diebus quibusdam festivis mulsum bibendi ; uti patet ex sequentibus : *Ite, comedite pingua, & bibite mulsum . . . quia sanctus dies Domini est* (3).

I V.

INTER humores aquosos jam notaverat Hippocrates, perspirabilem materiam ad alvum converti, & vicissim, quando pronuntiavit siccam alvum iis esse quibus cutis mollis est (4). Perspirationis & sudoris cæteræ excretiones vicariæ sunt (5).

Vulgatissimum quidem est cute à frigore percussâ, penè oculi ictu citius urinæ ad exitum appellentis stimulum percipi. Quidam manus non lavant, quin micturiant. In hystericis & hypochondriacis, sæpius evenit siccâ cum cute, frigidaque nimium, & vires frangentem urinæ effluxum conjungi.

(1) Plautus in *Bachidibus*, Scen. *Atridæ*.

(2) *Lib.* 5.

(3) *Esdr.* lib. 2, cap. 8, vers. 10, *Act. Apostol.* cap. 2, vers. 13.

(4) *Epidem.* lib. 6.

(5) M. Bouvart in *Thef.* ann. 1737.

Alvum repressâ perspiratione moveri constat, sive metu constricta fuerit, sive primo autumnî frigore, sive frigido pavimento pedes immittantur, quò remedio ad liberandam alvum dudum constrictam, vix aliud potentius reperitur. Non ignotum veteribus auxilium est, quo hydrops sanatur, dum universa cutis ceromatibus obducitur, ut repercussa perspiratio in urinas convertatur (1).

Ad salivæ vias humor perspirabilis quandoquæ migrat, quando frigus aliave causa sudorem supprimit (2); ad nares repercussa perspiratio notissimam stillam hibernam facit (3). Uti ad intestina perspirabile id quod per cutem exhalavit, ita in cutem trahit, quod per intestina exsudabat; sudor corporisque vehemens exercitatio diarrhæas supprimunt. In cholera biduo urina suppressa fuit (4).

Non rarò versus intestina aberrans illud perspirabile quod per cutem exhalare solebat, procreat diarrhæas quæ non possunt sanari nisi illud revocetur ad cutem; si pulmonem subeat, varios morbos producit, ut peripneumoniam notham, tussim, sputum cruentum, phthisim, &c.

V.

NOSTRATUM certè hominum saluti, in aëre humido ac crasso degentium, unctio oleosa non parùm inservire potest; sed inusitata pro novis habentur, & apud vulgus non nisi ægrè admittuntur.

Multum igitur eorum interest, quorum corpora attenuantur & debilitantur, quo potissimum cœlo, atque aëre utantur. Nam singuli cutis pori sunt totidem quasi ora, quæ non solum aërem, sed etiam omne in aëre volitans, sive amicum sanguini, sive inimicum promiscuè hauriunt. Summa igitur in eligendo aëre, sicuti in victus ratione à morbo convalescentibus cura est adhibenda.

Hinc etiam sequitur, ubi morbus aliquis populariter grassatur, omnem evacuationem esse malam; hac enim ad morbi semina recipienda & imbibenda corpus magis aptum & idoneum efficitur. Hanc humoris per cutem absorbendi facultatem percepisse videntur è Medicis methodicis, qui *Diatriarii* audiebant, nam cum his in usu erat morborum curationem à trium dierum jejuniis instituere, hoc tempore

(1) Cœlius Aurelianus, Chron., lib. 3, cap. 8.

(2) Binninger, lib. 1, obs. 10.

(3) Kaaw perspirat. N. 18.

(4) La Mettrie, Obs. de Med. prat.

ægrotorum corpora inungebant, & cataplasmatibus & involucro, ex oleo expresso, involvebant (1).

Europæi migrantes ad Americanos calore insolito deussi, tantam fluidi quantitatem per poros cutis amittunt, ut spissior lymphæ, siccior fibra evadant, appetitus languet; inde debilitas, hydrops; ex his videtur quanta sit unctionum utilitas. Populis inter Tropicos vitam degentibus oleosam cutem natura dedit, quâ siccâ, languent, molestias patiuntur, & corpus inungere coguntur (2), ut sanitatem recuperent.

Exercitus nostri trans Rhenum, Alpes, Pyrenæosque montes deportati morbis epidemicè grassantibus magis quàm ferro devastantur. Non rarò horrendus ipso nomine morbus, terrifica pestis furit, patriæ jugulo imminet, necem militibus minatur. Legiones verò Romanæ ab æstuante Asiæ solo ad paludes gelu rigentes Septentrionis, salvâ sanitate migrasse legimus; undenam differentia hæc repetenda videtur, nisi ab alternis vicibus caloris, frigoris, humiditatis? Hinc prima mali labes, hinc excretiones cutaneæ modò nimix, modò parciores: iis re-tentis vel suppressis, mox oriri videntur morbi inflammatorii, putridi, maligni, viscerum infarctus, mali moris abscessus; quandòque pulmones in tetram putrilaginem uno vel altero nythemero diffluunt.

Has labe, hæc morborum femina, unctionibus oleosis, multo potu, efficaciter amovebant Romani, numquid in usum mutatis mutandis, revocari non possent ad servandos milites hodiernos (3)? Saltem ex his omnibus patet quanti unctionum oleosarum multique usum fecerint Antiqui, experienciâ & ratione suffulti, & quanto cum emolumento eadem media possent à Neotericis adhiberi.

Undè concludere pronum est:

Ergò vigor animi corporisque intus mulso, foris oleo servatur.

(1) Vid. Keill Medicin. Static. Britan.

(2) M. Peyrilhe, Hist. de la Chirurg., Tome 2, pag. 330. M. Mathey Thes. propugnata Parisiis, 1778.

(3) M. Peyrilhe, Hist. de la Chirurg., Tome 2, pag. 329.

Proponēbat Parisiis CLAUDIUS COUILLEROT DES CHARIERES, Bisuntinensis,
Doctor Medicus Rhemenfis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ
Parisiensis Baccalaureus, Theses Auctor.



Tipis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Typographi, viâ du Fouare. 1789.